

Sermon from the notebook of John of Dąbrówka*¹

Manuscript: **BJ 1635, f. 146v** [no title]

[Thema] *Virgam virtutis tue etc.* [Ps 109, 2]²

Virga dicitur beatus Stanislaus propter rationes:

<1> Primo quantum ad electionem episcopalem, quia ut Aaron, dic.

<2> Secundo quantum ad miraculorum operationem.

<3> Tercio quantum ad clemencie comparacionem seu gracie restitutionem. Hester.

<1> Primo dico quantum ad electionem, quia sicut A[aron] mediante virga est electus, sic iste mediante virga, id est Dei filio, est electus. Ipse enim est virga vigilans.

<2> Secundo comparatur virge Moysi propter miraculorum operationem, quia sicut Moyses mediante virga fecit plura miracula in Egypto, sic noster Moyses, idest Christus, fecit multa miracula per virgam suam, scilicet beatum Stanislaum, et usque in presens facit.

<3> Tercio comparatur virge Assueri propter gracie restauracionem, quia sicut virga eius fuit virga clemencie et pietatis omnibus osculantibus eam. Dic historiam de Hester, quomodo fuit prolapsa. Sic beatus Stanislaus est virga summe clemencie et pietatis, inclinatur per regem Assuerum, idest Christum, omnibus invocantibus eum in quacumque necessitate. Dic miracula.

¹ Sermon no. LXXII in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² *Virgam virtutis tue emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*